



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 111. Erat Patrus in medio eorum. v. 56.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

corporalis in atrio, & spiritalis; qui est Christus intra conclavia pontificis inclusus; sed apud hunc tunc temporis, nulli ferè; apud istum multi se calefaciebant.

**O** Iesu ignis consumens: O Iesu; lux vera, ardebas in palatio, & nemo sentiebat ardorem ignis tui: Lucebas, ut sol, in tenebris, & tenebra non comprehende-  
*debant* splendorem tuum. O si ad te ita propinquarent homines, uti propinquant ad focos, quantum calerent, & quam bene; certe æternum.

§. 110. *Et circumfidentibus illis. v. 55.*

Ministris scilicet principum Iudæorum; nam milites in stationibus suis dispositos consistere debuisse est valde probabile, quibus non solet continuo focus strui, sed durius haberi, unde etiam ipsi cum potestatem accipiunt alios duriter tractare; consueverunt; utpote male sæpè tractati.

**O** Christe Iesu, da mihi, ut me omnibus discretè humanum exhibeam; neminem exasperem; neminem in eptè palpem; ut nemo jure offendatur.

§. 111. *Erat Patrum in medio eorum. v. 56.*

Quo devenisti Petre, qui paulò ante sedebas in medio sanctorum Apostolorum Christi, cum ipso, sancto sanctorum in mensa bibens vinum, quod miscuit sapientia Dei, in calice saturari; unde calefactus & quasi ebrius musto divini amoris præclarè pronuntiasti & declarasti coram omnibus; *Te paratum & in carcerem & in mortem ire cum Domino tuo.* Ecce nunc invenires in medio malignantium, in medio persequentium Dominum tuum ad terrestrem focum, qui antea ardebas igne divini amoris, nunc gelidæ, quasi mortis imago es; totus frigidus, totus congelatus, nesciens præ frigore amoris quid agas, quid dicas; voluisti antea medium tenere inter asseclas Christi, & Apostatas; & ideo sequabaris à longè. At istud medium non valere video, quia ad extremum devenisti.

**O** Deus averte à me pestem hanc Erasmicorum & Cassandristarum & Interemistarum, qui volunt esse medij inter Catholicos & hæreticos, inter tenebras & lucem; in consilium horum obsecro non veniat anima mea.

§. 112. *Quem cum vidisset ancilla quadam sedentem ad lumen. v. 56.*

Fortè Petrus præ dolore captivitatis Domini sui magis exanimis inter principum & seniorum ministros sedens, finem rescire volens ad ignem  
*se-*